



Jus Canonicum In V. Libros Decretalium Distributum

novâ Methodo explicatum, Omnibus Capitulis Titulorum (qui in Antiquis, & novis Libris Decretalium continentur) promiscuè & confusè positis, in ordinem doctrinæ digestis. Adjunctis Aliis Quæstionibus Connexis, Quæ Ad Plenam Cujusque Tituli, Aut Materiæ Cognitionem, Et Expositionem Pertinent. ...

Respondens Libro tertio Decretalium, In Quo De Obligationibus, Beneficiis, Aliisque Juribus Clericorum saecularium, & Regularium agitur ...

Pirhing, Ehrenreich

Dilingae, 1676

Titulus VII. De Institutionibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98275](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98275)

TITVLVS VII.

DE INSTITUTIONIBUS.

I.

Uprà dictum est de Beneficiis, eorumque collationibus, nunc sequitur de Institutione, quæ etiam est modus acquirendi Beneficia: Institutio verò accipitur, vel latè, prout etiam collationem includit: vel propriè ac strictè, & ut sic est *iuris Beneficij ad præcedentem præsentationem, vel nominationem alicujus legitimæ auctoritatis facta translatio*, per quam scilicet jus ac Titulus Beneficij acquiritur instituto. Differt à collatione strictè accepta; quia hæc est *iuris Beneficij libera translatio*, Collator enim non tenetur Beneficium conferre, huic vel illi: sed liberè cui vult, dummodò sit idoneus, c. *Relatum*; 9. de *Præb.* Institutio verò est translatio non libera, quia Ordinarius superior, velit, nolit, tenetur jus, siue quasi dominium Beneficij conferre præsentato, si idoneus reperitur, *Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 1.* Accipitur præterea Institutio interdum pro investitura, seu missione in corporalem seu actuale Beneficij possessionem, quæ jure communi ad Archidiaconum spectare dicitur in c. *Ad hæc*; 7. & c. *Ut nostram*; 9. de *Offic. Archidiacon.* & notat *Gl. in cit. c. Auctoritate*; 4. *V. Instituitur. h. t.* Fit autem investitura, siue introductio in possessionem, interdum nullâ præcedente collatione, vel institutione, & tunc habet vim collationis; quia per illam transfertur jus Beneficij in investitum: Aliquando verò præcedente collatione, institutione, vel confirmatione, subsequitur investitura, & tunc per eam transfertur possessio corporalis, siue realis, si in loco Beneficij fiat, *Abb. in cit. c. Auctoritate*; nu. 9. Variis autem modis fit investitura: nam Abbas, v. g. investitur per inductionem in Templum, & collationem in Sedem: Canonicus, per assignationem loci in Choro, & Capitulo: Pastor per ingressum Templi, pulsam campanæ, &c. *Zoëf. in Comment. Decretal. l. 1. n. 4.* Extat hic Tit. etiam in Sexto.

§. I.

Ad quos spectat ius instituendi Clericos in Beneficiis Ecclesiasticis?

II. Assertio 1. Jure communi, jus, siue potestas instituendi Clericos à Patronis præsentatos, spectat ad Episcopum, ut docet *Abb. in c. Ex frequentibus*; 3. n. 2. h. t. *Azor. p. 2. l. 6. c. 22. q. 2.* & alij communiter. Idque probatur ex c. *Cum ex infuncto*; 12. in fine *infr. de hæretic.* & ex cit. c. *Ex frequentibus*: Ubi Alexander III. reprobatur quandam pravam consuetudinem in quibusdam Ecclesiis Anglicanis introductam, ut Clerici Ecclesiastica Beneficia, sine consensu Episcoporum Diocesanorum (adeoque etiam sine institutione eorum) vel Officialium eorum (seu Vicariorum Generalium in spiritualibus)

qui hoc de jure possunt, accipiant: eò quòd id à statutis SS. Patrum alienum, & Ecclesiasticæ honestati sit contrarium; quomobrem sententiam excommunicationis ab Archiepiscopo Cantuariensi, tam in eos, qui Ecclesiastica Beneficia tali modo occupata, retinent: quàm in posterum ita occupare præsumunt, Pontifex auctoritate Apostolicâ confirmat, ac mandat, ut Clerici, qui sententiam excommunicationis incurrerunt, nisi congruè satisfaciant, non absolvantur.

III. Pro declaratione hujus *Cap.* Notandum primò. Nomen institutionis in hoc c. à DD. latius accipitur pro omni provisione non libera, quæ scilicet sit, non solum ad alicujus præsentationem, aut nominationem, sed etiam electionem: tunc autem semper requiritur examen, & citatio per affixum edictum eorum, quorum interest, juxta c. *ult. de Elect.* in 6. quod licet tantum loquatur de Beneficiis electivis, tamen etiam locum habet, in Beneficiis, quæ providentur ad præsentationem Patroni, ut tradit *Gl. inc. ult. V. Electione*; de *Elect.* in 6. & *Franc. ibidem num. 5.* eò quod utriusque provisionis par sit ratio, arg. c. 2. de *jur. Patron.* alioquin non solum electio: sed etiam institutio facta, sine Edicti citatorij publicatione, erit nulla, *Garc. p. 9. de Benef. c. 4. num. 1.* & 6. quæ in re tamen spectanda est consuetudo Ecclesiarum. Præterea in Concil. Trident. *Seff. 7. c. 13. de reform.* præcipitur, ut præsentati, vel nominati à quibuscunque Ecclesiasticis personis (multò magis ergo à Laicis) etiam Sedis Apostolicæ Nunciis, ad quævis Ecclesiastica Beneficia non instituuntur, nec confirmantur, nec admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegij, aut consuetudinis, etiam ab immemoriali tempore præscriptæ: nisi fuerint prius à locorum Ordinariis examinati, & idonei reperti, & nullus appellationis remedio se tueri possit, quominus examen subire teneatur, *Garc. c. l. c. 3. n. 5.* Quomodo autem in provisione Beneficiorum curatorum, seu Parochialium examen præmitti debeat, explicat Concil. Trident. *Seff. 24. c. 18. de reform. Garc. c. l. c. 2.*

Notandum secundò. Licet ordinariè, præter casus in jure exceptos, Archiepiscopus, seu Metropolitani non possint exercere jurisdictionem erga subditos Coepiscoporum, eos v. g. excommunicando, c. *Nullus*; 7. *caus. 9. q. 3. c. Pastoralis*; 11. de *offic. Jud. ordin.* potest tamen in eos jurisdictionem exercere in casu pertinente ad statum totius Provinciæ, tollendo v. g. pravam consuetudinem, quæ in ea viget, & excommunicando eos, qui illam observant, si Episcopi sint negligentes, ut in casu hujus *cap. Abb. hic n. 4.* & *Gl. in cit. q. 3. in summa V. Quod autem.*

Notandum tertio. Clerici, qui à Laico v. g. Patrono institutionem verbalem, per quam jus & Titulus Beneficij confertur: vel realem, per quam fit introductio in possessionem, in Beneficiis Ecclesiasticis accipiunt, penas excommunicationis, & depositionis, aliisque inhabilitates incurrunt, prout videre

est in c. Si quis deinceps; 12. & pluribus seqq. caus. 16. q. 7.

IV. Assertio 2. Officialis, seu Vicarius Generalis in spiritualibus potest ex officio suo Clericos praesentatos instituere in Beneficiis, licet speciale mandatum ad id non habeat, ut colligunt DD. ex cit. c. Ex frequentibus; ibi: Officialium suorum, qui hoc de jure possunt, h. t. V. Officialium, & Abb. num. 7. licet Textus hic posset intelligi, quod loquatur solum de ijs Officialibus, quibus hoc specificè commissum est ab Episcopis. Neque refert, quod Vicarius ex officio suo non possit conferre Beneficia, nisi id ei fuerit specialiter commissum, ergo nec instituere potest. Nam neg. Conseq. Ratio discriminis est; quia instituere est necessitatis, cum sit provisio non libera, is enim, qui praesentatus est à Patrono, institui debet, si sit idoneus: collatio verò est provisio libera, quae sit, sine praecedente praesentatione alicujus ad Beneficium, idèoque cum sit quaedam donatio, non comprehenditur sub generali concessione Vicario facta, Abb. in cit. c. Ex frequentibus; n. 7. Azor. cit. c. 22.

q. 3.

V. Assertio 3. Etsi Capitulum, Sede vacante, Beneficia, quae ad collationem Episcopi, (soli) pertinent, conferre non possit: (c. 2. infra Ne Sede vacante) praesentatos tamen à Patronis, si idonei sint, admittere, eosque in Beneficiis, ad quae praesentati fuerint, instituere potest: licet talis admissio, & institutio ad Episcopum pertineret, si in vivis esset, prout statuitur in c. Etsi; 1. h. t. in 6. Ratio est, quia institutio non est donatio gratuita, sed ex necessitate debita, si praesentatus sit idoneus: neque per illam praedictum sit Episcopo successori, cui nulla donationem seu liberalitatem exercendi occasio aufertur. Cum ergo Capitulum succedat in omni jurisdictione, & administratione Episcopali necessaria, sive in ijs, quae ratione Episcopalis officij necessariorum expedienda sunt, c. His quae; 11. & c. Cum olim; 14. sup. de major. & obed. idèoque potest praesentatos à Patronis instituere, Abb. in c. 2. num. 6. Ne Sede vacante; & c. Azor. c. l. q. 3. Barb. in Collect. hic num. 4. Garc. p. 5. c. 7. num. 51. 54. & 55.

Porro ex hoc cap. colligitur, quod aliud sit admittere, aliud instituere, ut tradit Gl. magna hic in notatis communiter recepta, quia ut diversa ponuntur: quamvis DD. hoc diversimodè explicant: nam admittere, est idem, quod recipere, seu approbare, & in titulum tradere: instituere verò est, mittere, seu introducere in corporalem Beneficij possessionem, ut tenet Io. Monach. hic, & Io. Andr. ibid. n. 1. quo sensu etiam videtur loqui Concil. Trident. Sess. 7. c. 13. de refor. At verò secundum Ancharan. hic not. 2. & Franc. n. 2. admittere idem est, quod ad examen recipere: instituere autem est, approbare, sive jus & titulum tribuere.

VI. Assertio 4. Etiam Praelatis Episcopo inferioribus competere potest potestas instituendi ex jure, seu causa speciali, videlicet privilegio, praescriptione, vel consuetudine, ut constat ex c. Super eo; 15. De offic. Deleg. ubi dicitur, institutionem ad Archiepiscopum pertinere, vel Archidiaconum, vel Episcopum pertinere posse, Azor. c. l. q. 3. Et quod per praescriptionem,

seu consuetudinem praescriptam possit Abbati, vel Praeposito jus instituendi aquiri, constat ex c. Cum olim; 18. & c. Auditis; 15. de praescript. & docet Abb. in cit. c. Ex frequentibus; n. 3. h. t. In quo solum reprobatum consuetudo, ut recipiantur Beneficia ab ijs, qui non habent potestatem conferendi, vel instituendi, nec jure communi, nec speciali. Praeterea interdum etiam ex fundatione, vel dotatione Praelatus inferior habere potest jus instituendi, ut si Capellania à Laico fundetur, eà conditione adjuncta, cum consensu Episcopi, ut certae Ecclesiae Praepositus, vel Decanus habeat potestatem instituendi Clericos à Patrono praesentatos, vel ut penes certum aliquod Collegium Clericorum, vel Monasterium, vel Universitatem studiorum, sit potestas instituendi, Azor. cit. q. 3. Barb. De offic. Episc. alleg. 72. n. 184. & l. 3. Tur. Eccl. c. 10. n. 208. quamvis Concil. Trident. Sess. 14. c. 12. & 13. de reform. decreverit, ut si Patronatus alicui concedatur, institutio ipsi Episcopo, & non alteri inferiori reservetur.

Porro ad Praelatos etiam regulares in Ecclesiis, quae pleno jure ijs subiectae sunt, jus instituendi pertinere potest, ut colligitur ex Clement. unic. de excessib. Prael. Secus est de Ecclesiis, quae pleno jure ad eas non spectant: in ijs enim institutio, & destitutio ad illos non pertinet, sed Presbyteri, seu Vicarii instituendi sunt ab Episcopo, juxta c. In Lateranensi; 31. & c. De Monachis; 12. sup. de praebend. etiam tuerint Patroni exempti, Barb. cit. alleg. 72. n. 188.

VII. Caterum quod dictum est, institutiones Clericorum in Beneficiis posse etiam pertinere ad Praelatum Episcopo inferiorem, probari etiam potest ex c. Cum venissent; 6. h. t. Nam controversia orta inter Archiepiscopum Eboracensem, & Archidiaconum Richemundiae, super institutione personarum, & custodia Ecclesiarum vacantium: Archiepiscopus dicebat, hac jura, tam de jure communi: quam de generali consuetudine, ad se in Diocesi sua pertinere: quosdam verò Antecessores suos Archidiaconis quibusdam Richemundiae institutiones, & custodiam Ecclesiarum personaliter, sive tanquam personale Beneficium concessisse. E contrario verò Archidiaconus respondit, quod praedictus Archiepiscopus non personaliter Archidiacono, qui tunc erat, sed in perpetuum ipsi Archidiaconatui, cum consensu Capituli Cathedralis, tam institutiones, quam custodias reali concessione donasset. Cum autem Archidiaconi Antecessores sui in continua possessione istarum, aliarumque libertatum, & exemptionum, longo tempore fuissent, Archiepiscopum postea ipsi Archidiaconatum absolute, & sine conditione concessisse. At verò post factam concessionem assensisse, Archidiaconatum se ipsi concessisse, exceptis institutionibus, & custodiis Ecclesiarum vacantium. Tunc verò Archidiaconus timens, ne id difteret negaret, cum nondum esset possessionem Archidiaconatus adeptus, vel penitus impediretur, vel saltem diutius ab ejus consecutione differretur, dixit: quod non solum de illo, sed etiam de omnibus rebus suis faceret Archiepiscopus, quod sibi placeret. His utrinque propositis, Papa Innocentius III. interlocutorie pronuntiavit, Archidiacono

num esse in plena libertatum ejusdem Archidiaconi
natis possessione defendendum, donec ex parte ad-
versa legitime probetur, ipsas libertates Archidia-
conis ab Archiepiscopis personaliter concessas
fuisse: quandoquidem Archiepiscopus tam ante,
quam post, & in ipsa concessione, eas libertates, vi-
delicet institutiones, & custodias, retinere potue-
rit tanquam suas, & non retinuerit: vel donec le-
gitime probatum fuerit, ab eodem Archiepiscopo,
eandem libertates Archidiacono abjurasse, sive
per juramentum ijs renunciasse. Quamquam in
hoc posteriore casu, posito, quod concessio illa
realiter, sive ipsi dignitati Archidiaconatus con-
cessa fuerit, Archiepiscopo nihil juris, vel aucto-
ritatis accederet; quia Pontifex vel ad petitionem
Ecclesiae Eboracensis; vel ex officio per seipsum
Archidiaconum consulat. Quod si igitur alteru-
rum praedictorum fuerit legitime probatum, Ar-
chidiacono super ipsis libertatibus: sin neu-
trum, ipsi Archiepiscopo silentium imponendum
erit.

VIII. Pro explicatione hujus cap. Notan-
dum primò. Ratio cur in dicto cap. cum venissent;
possessio adjudicata fuit Archidiacono, & onus pro-
bandi in petitorio Archiepiscopo impositum, est;
quia tamen jus commune statat pro Archiepiscopo
contra Archidiaconum, nam spectato Jure commu-
ni, institutio, & consequenter etiam custodia Eccle-
siarum vacantium pertinet ad Ordinarium loci in to-
ta Diocesi, ita, ut ipse super hac re intentionem fun-
datam habeat, c. Omnes; 10. & c. seg. caus. 16. q. 7.
c. Exinjuncto; 12. in fine de heretic. ad quem autem
spectat institutio alicujus Ecclesiae, is etiam plerum-
que custodiam ejusdem habere censetur, prout colli-
gitur ex hoc cap. Verumtamen quia Archiepiscopus in
judicio confessus fuit, Archidiaconis quibusdam à
suis Antecessoribus jus tam institutionum: quam
custodiae Ecclesiarum vacantium concessum fuisse,
licet adjecerit in sua confessione, quod fuerit concessum
personaliter solum, sive tanquam personale jus,
quod cum persona extinguitur: & quia Archidiaconus
intererat in antiquissima, & continuo quiesca posses-
sione utriusque praedicti juris: ideo praesumptio erat,
quod ea concessio fuerit realis facta perpetuo ipsi di-
gnitati Archidiaconatus, ita, ut si Archiepiscopus,
vel alius Ordinarius loci proponat, quod Archidia-
coni institutionem, aut custodiam Ecclesiarum va-
cantium exercuerint, non ex concessione reali, vel ju-
re proprio dignitatis, seu Archidiaconatus: sed per-
sonali solum, sive precario, aut nomine, & auctori-
tate Archiepiscopi concedentis, id probare debeat,
propter praesumptiones, quae sunt contra ipsum
pro Archidiacono, ut tradit Gl. hic v. Probatis, &
Abb. ibid. n. 7. & 8. Quamvis alias regulariter sola
possessio, si nulla sit praesumptio pro possessore, non
possit contra proprietarium in judicio petitorio, seu
proprietas, uti sumitur ex c. Cum Ecclesia; 3. de caus.
poss. & propriet. & notat Abb. hic n. 8. Porro licet de
Jure communi ad Archidiaconum non pertineat jus
instituendi Clericos in Beneficiis auctoritative, con-
ferendo eis jus in re: spectat tamen ad illum investi-
tura, sive jus inducendi in corporalem possessionem
Beneficij, c. Ad haec; 7. De offic. Archidiacon. Gl. hic v.
Communi, & Io. Andr. n. 13.

Notandum secundò. Consuetudo potest simul
concurrere cum Jure communi, tamen idem dispo-
nat, quod Jus commune: additamen ei confirma-
tionem, seu majorem quandam firmitatem, Abb.
hic n. 3.

I X. Notandum tertio. Potest Episcopus, cum
consensu Capituli, concedere inferiori Praelato, ejus-
que dignitati, jus spectans ad dignitatem Episcopa-
lem, ut in casu hujus cap. Archidiacono jus institu-
tionis, & custodiae Ecclesiarum vacantium, ita, ut
per Successores Episcopos revocari non possit, Abb. hic
n. 4.

Notandum quarto. Si quis alteri, praesertim Su-
periori suo dicat, ut faciat de bonis suis, vel juribus
quod placet: hujusmodi verba non inducunt obliga-
tionem, sed intelligenda sunt, secundum arbitrium
boni viri, ut faciat, quod rationabile, & equum est.
Ut in hoc cap. quando Archidiaconus dixit, ut Ar-
chiepiscopus faciat de redditibus suis, quod placet, non
ideo obstrictus fuit cedere juribus institutionum, &
custodiarum in Ecclesiis vacantibus ab Archiepisco-
pis concessarum, Abb. hic n. 5.

Notandum quinto, Juramentum praestitum per
Praelatum super juribus Ecclesiae tenet, & servandum
est ipsi Praelato: non autem quatenus praedictat Ec-
clesiae, ut in casu hujus cap. Archidiaconus, qui ab-
juravit libertates Archidiaconatus, scilicet institu-
tiones, & custodias Ecclesiarum vacantium, sive jura-
tus ipsis renunciavit, non potest eisdem uti, & con-
travenire juramento: nam hic dicitur, Archidia-
conum esse defendendum in quasi possessione liberta-
tum, donec probetur ipsum eas abjurasse: Ex quo
inferitur, si constet de abjurazione, non esse audien-
dum contra juramentum, unde hic dicitur, silentium
ipsi imponendum esse. Non autem per tale juramen-
tum Praelati praedictatur ipsi Ecclesiae, ut in propo-
sito dignitati Archidiaconatus, quominus non ob-
stante tali abjurazione, ad petitionem Ecclesiae, vel
etiam ex mero officio Judicis concedatur dignitati
Archidiaconatus, ut habetur in Textu, Abb. hic n.
14. Quare vel juramentum, aut aliud factum Prae-
lato potest separari à praedictio Ecclesiae, & soli Prae-
lato nocet, non autem Ecclesiae: vel non potest separa-
ri, sed cedit in damnum Ecclesiae, & tunc non tenet,
Abb. hic n. 18.

§. II.

De instituendis in Ecclesiis, vel Be- neficiis Ecclesiasticis.

X. Quæritur primò. Quinam: & quales in-
stituendi sunt in Beneficiis? Resp. primò, instituendi
debent esse Clerici; nam Laici non possunt in Cano-
nicatibus, vel alijs Beneficiis institui, ut constat ex c.
In Ecclesia; 2. h. 1. ubi habetur Quod in quadam
Ecclesia erat certus numerus Canonicorum per sta-
tutum Capituli juramento firmatum institutus,
prout habetur in integra lectione hujus cap. cum au-
tem numerus ille imminutus esset, & plures Cano-
nicatus vacarent, & in eadem Ecclesia quidam Lai-
ci praebendas obtinerent: quaesitum fuit, an ijs nu-
merus Canonicorum constitutus impleri possit?
Respondet Papa Eugenius, cum Laici non debeant
in

» in Canonicorum numero computari (quia non sunt
» idonei quippe Laici: neque juris Canonice capax
» est, nisi Clericus, *Gl. hic V. Tales*) idè implendus
» est numerus Canonicorum decretus, & determi-
» natus, intra tempus præscriptum (videlicet sex
» mensium, alioquin devolvitur potestas, instituen-
» di ad Superiorem, juxta c. 2. *Tit. seq. Gl. hic V. Dif-
» ferre*) ex Clericis tales, qui in Ecclesiasticis Ordini-
» bus constituti DEO in Divinis officiis congruè ser-
» vire possint. Porro licet Monachus cadat in Lai-
» cos conversos, qui censentur personæ Ecclesiasticæ,
» seu Religiosæ, ita, ut gaudeant privilegio fori, & Ca-
» nonis: non tamen ex ijs impleri potest numerus de-
» terminatus Canonicorum; cum non sint Ordinibus
» Ecclesiasticis initiati, ac proinde servire non possint
» DEO in officiis Divinis, ut tradit *Innoc. hic n. 1.* sed
» requiritur, ut Laicus conspuratus, sit ordinatus, ante-
» quam fiat Canonicus, *Abb. hic in fine.*

XI. Resp. secundo, non sunt in Ecclesiis, &
» Beneficiis instituendi Clerici unius originis, seu Na-
» tionis tantum: sed viri litterati, & aliis idonei, un-
» decunque originem ducant, in Ecclesiis institui de-
» bent, prout decernitur in c. *Cum decorem*; 5. h. t. Ubi
» improbatum factum Patriarchæ Constantinopoli-
» tani, qui aliarum Nationum Clericos spernens,
» Venetos tantum in Ecclesiis Constantinopolitanis
» instituere voluit. Rationem reddit Papa Innocen-
» tius III. quia in omni Gente, qui facit justitiam, ac-
» ceptus est DEO, neque Sanctuarium DEI conven-
» nit jure hereditario possideri. Quare mandat idem
» Papa suo Legato, ut Patriarcham moneat, ut viros
» litteratos, & aliis idoneos in prædictis Ecclesiis,
» maxime in majore, seu Cathedrali Ecclesia insti-
» tuere non prætermittat, alioquin indignum se red-
» det, ut aliarum Nationum Clerici ad illius obedi-
» entiam compellantur. Multò magis autem id re-
» probari debet, si certæ Genti, aut Familiæ promissio
» fiat, quòd ex illa tantum ad Canonicatus, & alia Be-
» neficia Ecclesiastica sint assumendi, idè què in hoc c. in
» fine, mandat Papa Legato, ut ad ipsum referat, ve-
» rumne sit, Patriarcham Venetis hac de re promif-
» sionem fecisse; quia tale pactum iniquum foret,
» cum Beneficia Ecclesiastica, sine pacto sint conferen-
» da, *Gl. fin. hic*, per quòd impeditur libera Beneficio-
» rum collatio, adeoque fit, ut multi idonei prætereant-
» tur, & minus idonei promoveantur.

Excipiendum est, si aliquod Beneficium primi-
» tivum fundatum sit pro personis ex certa Gente, Civita-
» te, vel Familia oriundis: tum enim post acceptatam
» foundationem, alij in illo instituendi non sunt: sed
» conditio adjecta impleri debet; cum non sit inhono-
» sta, dummodò ij, qui præsentantur, sint idonei, idq;
» praxis Ecclesiarum confirmat. Sed neque ea consue-
» tudo plurium Ecclesiarum improbari potest, secun-
» dum quam in promotione ad Canonicatus aliæque
» Beneficia, indigenæ, modò idonei sint, alijs exteris
» præferuntur, *arg. c. Nullus; dis. 61.* Quia indigenæ
» facilius inducuntur ad perpetuò residendum in Pa-
» tria, quàm extranei, *Abb. hic n. 4.*

XII. Resp. tertio, si Patronus ad Parochia-
» lem Ecclesiam vacantem præsentet aliquem, qui
» Sacris Ordinibus non est initiatus, sed adhuc in mi-
» noribus est constitutus, is non debet repelli, sed ad-
» mitti, & institui, dummodò alioqui sit idoneus, &
» intra tempus à iure statutum (videlicet intra an-

num, c. *Licet*; 14. de *Elect. in c. c. Præterea*; 5. de *stat. & qual.*) ad Sacerdotium promoveri possit, prout
» statuitur in c. *Si is*; 2. h. t. in c. 6. Nam generatim lo-
» quendo, si Beneficium certum Ordinem Sacrum re-
» quirat, spectato Jure communi, non est necessarium,
» instituendum actu habere illum Ordinem: sed satis
» est, si intra annum illum suscipiat, juxta *Clement. 2. de*
» *stat. & qual. c. c. Laym. l. 4. traç. 2. c. 14. n. 2.* Requi-
» ritur tamen, ut præsentatus à Patrono in minoribus
» constitutus sit, & non solum sit in tali ætate, quòd
» possit intra annum promoveri ad Sacerdotium: sed
» etiam, ut tempore præsentationis ad Beneficium pa-
» rochiale, sit in ætate requisita per Concilium Latera-
» nense in c. *Licet*; videlicet xxiv. ætatis annum
» compleverit, & xxv. attigerit, *Franc. hic n. 1.*

XIII. Queritur secundo, Quot in Collegiis
» Clericorum instituendi sunt Canonici, & Ecclesiæ
» Ministri, & in Monasteriis Monachi, aut Moniales?
» Resp. tot sunt instituendi, quot ex redditibus Ecclesiæ
» Collegiæ, vel Monasterij commode, & absque pe-
» nuria ali possunt, nec plures sunt recipiendi, prout
» imprimis statuitur in c. *Auctoritate*; 4. h. t. Ut nullus
» in Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, invitis
» Canonicis, vel Clericis instituatur, ultra nume-
» rum Clericorum, qui juxta facultates Ecclesiarum,
» commodè sustentari possint. Idem habetur in c. *Quoniam*; 9. de *vita & honest. Cleric. & in c. ult. juxta*
» *Gl. V. Facultates*; de *V. S.*

Ubi Notandum. Licet in illis Ecclesiis, in qui-
» bus numerus Canonicorum, seu Clericorum non est
» determinatus, Prælati, & Capitula à Superiore suo
» compelli possint, ad tot suscipiendos, quot ex rediti-
» bus Ecclesiæ decenter, & commodè sustentari pos-
» sunt, ut docet *Abb. in c. 1. n. 2. h. t.* Attamen ultra facul-
» tates Ecclesiæ cogi non possunt, ut aliquem recipiant,
» juxta c. *Auctoritate*; h. t. Quare si Superior, v. g. Epi-
» scopus, vel etiam Papa, alicui Prælati, seu Rectori Ec-
» clesiæ, ejusque Capitulo præsentet Clericum, man-
» dando, ut eum instituat, potest is contra hoc manda-
» tum excipere, quòd Ecclesiæ facultates non sufficiant,
» ad plures alendos, ut docet *Abb. in c. Ex parte*; 10. n. 4.
» de *consecr. præb.* Verum possunt Clerici, si ultro con-
» sentiant, & parcius vivere velint, etiam ultra facul-
» tates Ecclesiæ aliquem suscipere, ob cultum Divinum
» augendum, ita tamen, ut non egeant, ut notat *Gl. fin. in*
» *c. Auctoritate*; junct. *Gl. marg. lit. A. h. t.*

XIV. Præterea in c. *Non amplius*; 1. h. t. (quod
» est desumptum ex Concilio Arelatensi) statuitur,
» ut in Monasteriis, tam virorum, quàm mulierum, &
» Collegiis Clericorum (regularium, de quibus est
» sermo in hoc cap. non de secularibus Clericis, ut
» notat *Fagnan. hic num. 7.*) non plures recipiantur,
» quàm quot ex eorum bonis ac redditibus absque
» penuria sustentari possint.

Similiter in Concilio Tridentino *Seff. 25. c. 3. de*
» *Regularib.* decernitur, ut in Monasteriis, & domibus
» tam virorum, quàm mulierum, bona immobilia pos-
» sidentibus, vel non possidentibus, is tantum nume-
» rus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel
» ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consue-
» tis elemosynis commodè possit sustentari. Ratio
» hujus prohibitionis est; tum ne Religiosi seculari-
» bus curis implicentur, gratiâ necessarij victus com-
» parandi, vel egestas ad indecentia exercenda eos
» cogat, vel res alienam contrahatur, cui postea
» solven-

solvendo non sint, cum injuria creditorum, *Sanch. lib. 7. moral. c. 23. n. 1. qui n. 6.* ait, hoc decretum Concilii Trident. quoad Monasteria viro- rum, non ita stri- ctè receptum esse.

XV. Porro circa prædicta Notandum primò, Facultates, seu redditus Ecclesiæ vel Monasterii æsti- mandi sunt habito respectu, non tantum ad susten- tandos Clericos, vel Religiosos: sed etiam ad alia Ec- clesiæ onera & expensas in fabricam & eleemosynas faciendas, ad hospitalitatem erga peregrinos exercen- dam, & ad solvendum jura Episcopalia &c. *arg. c. De Monachis; 12. de Præbend. Gl. in cit. c. 1. V. Abs- que penuria, & Abb. ibid. n. 2. h. t. Laym. l. 4. tract. 2. c. 16. n. 1.* Licet autem præceptum cit. c. 1. nega- tivè sit conceptum, ut non plures recipiantur in Ec- clesiis vel Monasteriis, quam possint ibi sustentari, includit tamen in se præceptum affirmativum, ut tot sint recipiendi, quot ex redditibus Ecclesiæ sine pen- uria alii possunt, & ad hoc Prælati, vel Conventus à Superioribus suis, v. g. Episcopo compelli possunt, *Abb. c. l. Ubi ait, hos non esse oblivioni tradendum, Fagnan. ibid. n. 5.*

Notandum secundò. Si Ecclesiæ numerata sit, sive certus in ea Canonicorum, aut Regularium nume- rus per statutum sit determinatus, tum ob modicum reddituum augmentum, numerus is augeri non debet, ut monet *Gl. c. l. & Abb. ibid. n. 5.* Sed redditus ex- crescentes vel mensæ Capitulari, si bona communia possideantur, accrescunt, & in fine anni inter Cano- nicos dividuntur: vel propriis Beneficiatis accrescunt, si Præbendæ, sive redditus Beneficiorum sint distin- cti, *Abb. c. l. & Laym. c. l. n. 3.* Si verò redditus Ec- clesiæ notabiliter augeantur, sive in tantum faculta- tes Ecclesiæ excrescant, ut pluribus Canonicis, vel Clericis competenter sustentandis possint sufficere, tum etiam numerus Præbendarum, & Canonicorum augeri debet, tamen si à Papa definitus sit, & confir- matus, c. *Cum M. 9. de Constitut.* quia clausula illa, *in prædictis excrescant*, etsi non sit expressa, tacitè sub- intelligi debet, cum id secundum stylum Curie & SS. Canonum sit requisitum, *Laym. in cit. c. Cum M. de Constitut. n. 7.* Ubi ex Felino & aliis Dd. gene- ralem regulam tradit, quòd clausula secundum loci consuetudinem, aut instrumenti vel contractus na- turam apponi solita, si non exprimitur, subintel- lecta censetur: de hoc etiam dictum *supr. l. 1. Tit. 2. n. 107. & seq.*

Notandum tertio. Si vice versà redditus Eccle- siæ notabiliter decrescant, ut non sufficiant tanto Ca- nonicorum, vel Monachorum numero sustentando, is imminui poterit: dummodò augmentum, vel de- crementum reddituum stabile futurum esse existime- tur, non obstante confirmatione Papæ, ut docet *Abb. in c. Cum accessissent; 8. n. 4. de Constitut.* Vel etiam quòd numerus Præbendarum juramento sit confirmatus; quia tam confirmatio Papæ, quam ju- ramentum de retinendo certo numero Præbenda- rum, intelligi debet, si res in eodem statu perma- neat; non autem, ut etiam in eum casum se exten- dat, si res notabiliter mutata fuerit, ita ut secun- dum æquitatis rationem, & SS. Canonum præscri- ptum, mutatio facienda sit; nam in Ecclesiæ dedecus venderet, si Canonici, aliique Clerici se ex redditibus honestè alere non possent, *Arx p. 2. l. 6. c. 30. q. 11.*

Tomus III.

& q. 13. Garc. p. 10. c. 1. n. 2. Laym. cit. c. 16. n. 3. & in cit. c. Cum M. n. 4.

XVI. Quæritur tertio. An is, ad quem spectat jus sive potestas conferendi Beneficium, aut institu- endi, possit seipsum instituere? Respondetur nega- tivè, prout constat ex c. *Cum ad nostram; 7. & ult. h. t.* Nam vacante quâdam Abbatiâ, electus fuit in Ab- batem, qui in eadem Ecclesiâ prius Custos erat, is- que nihilominus Custodiam sibi retinebat. Un- de quærebatur, utrum de jure possit illam retinere? Consultus Papa Inuocentius III. respondit, quòd idem Abbas Custodiam de jure obtinere non po- test; quia cum ratione Abbatiæ, tam Custodiam, quam aliarum dignitatum & Præbendarum illius Ecclesiæ, donatio sive collatio ad ipsum Abbatem pertineat, non potuit illam à seipso recipere: cum inter dantem, & recipientem debeat esse distinctio personarum: sed neque ab alio recipere potuit, cum alii jus conferendi non haberent.

XVII. Pro explicatione hujus cap. Notandum primò. Si quis habens dignitatem, Personatum, vel etiam Officium, acquirat aliam dignitatem, eo ipso vacat prima, sive dignitas, sive Officium, *Gl. magna hic in notatis*, ut in casu hujus cap. per adeptionem Abbatiæ ipso jure vacabat Officium Custodis, quod promotus ad Abbatiam prius obtinebat, ita ut alteri conferri deberet, & quidem ab ipso promotò, si qui- dem jus conferendi annexum erat dignitati Abbatiæ, cujus possessionem erat assecutus.

Notandum secundò. Sicut nemo potest ligare, aut solvere seipsum; imò nec per se & directè dispen- sare secum ipse, sic nec dignitatem vel Præbendam Ecclesiasticam sibi ipsi conferre potest; quia inter dan- tem & accipientem debet esse distinctio personarum, sicut inter vendentem, & ementem, locantem, & con- ducentem, restituentem, & eum, cui sit restitutio, eligentem, & electum, præsentantem, & præsentatum, quia nemo oritur à seipso. Unde nec eligere seipsum quis potest, c. *In scripturis; 9. caus. 8. q. 1.* Neque se- ipsum præsentare, quamvis Clericus & idoneus sit, c. *Per nostras; 26. de jur. patron. & universum loquen- do*, nemo potest in facto proprio auctoritatem præ- stare, *Clement. 2. junct. Gl. V. Mensæ sue; de reb. Eccl. non alien.* ac proinde etiam nemo potest habens jus conferendi, vel instituendi sibi ipsi conferre Beneficium, vel seipsum instituere, *Abb. hic n. 4. & 5.*

Notandum tertio. Quando dicitur in fine hu- jus cap. quòd Prælati, cui competit jus conferendi, non possit Beneficium accipere ab alio: id intelligi de- bet de omni eo, qui proprio nomine illud conferre non potest. Et hinc, etsi Prælati potestatem confe- rendi alteri deleget, non tamen potest Delegatus con- ferre Beneficium vel dignitatem ipsi Deleganti; quia Delegatus non confert jure & potestate propriâ, sed jure & auctoritate Delegantis, cum Delegatus nihil proprium habeat, sed jurisdictione ejus, qui manda- vit, utatur, ut dicitur in l. 1. ff. de eo, cui mandat. est jurisd. & vices Delegantis gerat, c. *Sanè; 11. de offic. Deleg. & sic in effectu censetur Delegans sibi ipsi il- lud conferre, & eadem persona in proprio facto sibi ipsi auctoritatem præstabit, cum tamen non possit quis esse auctor in rem suam, l. 1. ff. de auctorit. tu- tor. & qui facit per alium, perinde est, ac si faciat per se-*

Z

per se-

per se ipsum, juxta reg. jur. 72. in 6. Verum Collator inferior, cui jus conferendi Beneficium competit, poterit illud accipere à Papa, vel Legato à Latere, quia illi jure communi in Beneficiis conferendis concurrunt cum inferioribus Collatoribus ordinariis, eaque jure proprio conferunt, *Abb. hic n. 6. in fine.* Idemque est, si inferior Collator legitime transferat in alium absolute potestatem conferendi Beneficia, eaque se omnino abdicet, tunc enim ab illo poterit recipere Beneficium, quia hic novus Collator proprio nomine confert, *Abb. c. l.*

XVIII. Sed contra ob stare videtur: S. Pontifex dat, seu delegat suo Confessario jurisdictionem seu potestatem absolvendi à peccatis se ipsum, à quo etiam in foro conscientie ligatur, & solvitur, ergo potest aliquis alteri dare, seu delegare jurisdictionem vel potestatem exercendam erga se ipsum, ergo multo magis poterit quis dare potestatem alteri conferendi Beneficium sibi, vel investiendi se ipsum? Resp. hoc argumento probari contra plures Theologos recentiores, quod Confessarius Papæ eundem non absolvat per potestatem jurisdictionis propriè delegatam ab ipso Papa; quia sequeretur, quod Confessarius ipsum absolvat, nomine & auctoritate ejusdem Papæ Delegantis, adeoque quod per se, directè & principaliter ipse Papa exerceat jurisdictionem in se ipsum, & à peccatis (quoad potestatem jurisdictionis, non Ordinis) absolvat se ipsum. Nec refert, quod per alium, nempe per Delegatum id faciat; quia quod quis per alium facit (tanquam principalis mandans) perinde est, ac si faciat per se ipsum, juxta reg. jur. 72. in 6. ergo si Papa absolvitur à peccatis per alium, tanquam suum Commissarium sive Delegatum, perinde est, ac si absolveretur à se ipso; actio enim, quæ fit per aliquem, nomine & vice alterius, non tribuitur ipsi immediate agenti, sed principali, sive mandanti, ut patet in matrimonio contracto per Procuratorem, Legato Principis, Patrino suscipiente aliquem à Baptismo per alium &c. Sicut ergo Ordinarius Collator, ad quem spectat potestas conferendi Beneficia, non potest alteri delegare potestatem conferendi aliquod Beneficium sibi ipsi, juxta cit. c. ult. h. t. Ita neque potest aliquis potestatem jurisdictionis absolvendi à peccatis committere, seu delegare alteri exercendam in se ipsum: nam idè non potest Collator delegare alteri potestatem conferendi Beneficium sibi ipsi; quia Delegatus conferret illud, nomine & auctoritate ipsius Delegantis, cujus vices gerit, & personam representat, cit. l. 1. §. Qui mandatam; ff. de offic. ejus, cui mand. est jurisd. c. Sanè; 11. de offic. Deleg. Sic Delegans in effectu & re ipsa conferret Beneficium sibi ipsi; atqui etiam Delegatus ad absolvendum à peccatis, absolvit per potestatem jurisdictionis sibi delegatæ, nomine vice & auctoritate ipsius Delegantis, ergo cum vi jurisdictionis delegatæ absolvitur ipse Delegans, cen-

sendus est in effectu & re ipsa absolvere à peccatis se ipsum, & sibi ipsi auctoritatem præstare; & jurisdictionem fori interni directè & principaliter exercere in se ipsum, quod utrumque Jus, Canonicum & Civile: imò etiam ipsa ratio naturalis vetat, & reprobat; nam sicut inter conferentem, & eum, cui confertur Beneficium; ita multo magis inter absolventem à peccatis & absolutum debet esse distinctio personarum, non tantum physica, sed etiam moralis.

Quare directè respondendo ad objectionem allatam: Dicendum est, cum Abbate in cit. c. fin. n. ult. h. t. quod in isto casu Sacerdos absolvens non sit merus Commissarius, sive Delegatus Papæ: sed potius Legatus & Vicarius Dei; quia Deus dedit potestatem absolvendi à peccatis Apostolis, & consequenter etiam Sacerdotibus ritè ordinatis, tanquam eorum Successoribus, c. Firmiter; 1. de S. Trinit. Ac proinde ad absolvendum aliud non requiritur, nisi persona subdita: Papa verò voluntariè se subiacendo Sacerdoti, complet, & velut actuat radicalem ejus potestatem, quam in Ordinatione sua à Deo accepit absolvendi à peccatis: nam cum S. Pontifex nullius hominis potestati, vel jurisdictioni subiectus sit, non potest ullus homo in illum exercere jurisdictionem, nec quidem fori interni, adeoque neque ipsum absolvere, nisi ipse se alicui Sacerdoti sponte subiciat, ut in ipsum exerceat potestatem absolvendi à Deo acceptam. Itaque Sacerdos absolvit Pontificem, non potestate ipsi delegatâ ab ipso Papa, sed jure ac potestate propriâ à Deo immediatè acceptâ, supposito, quod se illi voluntariè subiciat.

XIX. Postremò illud prædictis addendum, quod ad institutionem præsentati, sicut & ad confirmationem electi, non sit certum tempus à jure præfixum, intra quod facienda sit institutio, sicut est præfixum collationi liberæ & voluntariæ, ut ex communi docet *Abb. in c. 2. n. 12. & 13. de concess. Prab. Garc. p. 11. c. 4. n. 1. Barb. de offic. Episc. alleg. 72. n. 191.* Idque ne Beneficia nimis diu vacent, nam cum Patronus habeat, si Laicus sit, quatuor menses ad præsentandum, Ecclesiasticus verò sex menses: si Superior haberet alios sex menses ad instituendum, vacaret Beneficium per annum, antequàm potestas instituendi ad Superiorem devolveretur, ut notat *Abb. c. l.* Si tamen habens potestatem instituendi v. g. Episcopus sit negligens, sive recuset, vel differat institutionem, recurrendum erit ad illius Superiorem, nempe Metropolitanum, vel Legatum seu Nuncium Sedis Apostolicæ, qui tempus præfigat, intra quod, si non instituerit, ipse supplebit defectum, vel compellendo illum, vel per se ipsum instituendo, *Garc. c. l. n. 5.* quin etiam si habens potestatem instituendi differat instituere, sine legitima causa, poterit appellari ad Superiorem illius, propter gravamen illatum, *Garc. c. l. n. 9. Barbos. n. 193.*

